

welche

am Gymnasium zu Düren

zum Schlusse

des Schuljahres 18⁶⁶/₆₇ am 26. und 27. August 1867 stattfinden werden,

ladet ergebenst ein

Dr. M. Meiring,

Direktor des Gymnasiums, Ritter des R. A. O. 4. Kl.



Inhalt:

- 1) Emendationes Ammianear. Vom Oberlehrer Herrn Dr. Langen.
- 2) Schulnachrichten. Vom Direktor.

Düren, 1867.

Druck von Knoll & Sohn.



EMENDATIONES AMMIANEAE.

Scrpsit P. Langen, Dr. phil.

Erunt fortasse qui mirentur, me ad scriptorem emendandum devenisse, qui ultimis imperii Romani temporibus vixerit, praesertim cum eum ne minimum quidem a sermone Latino commendationis habere constet. Haec res sane longe plurimos viros doctos deterruisse videtur, quominus in Ammiano vel emendando vel explicando operam suam collocarent. Neque vero solum dignus est Ammianus propter summum veritatis amorem atque raram iudicii integritatem, ut quantum quidem fieri possit, etiam verba eius in integrum statum restituantur, sed etiam eget hoc auxilio si quis alius scriptorum Romanorum. Nam praeterquam quod fere nemo doctorum virorum, ut mode dixi, ad Ammianum emendandum animum advertit, etiam tot mendis et lacunis depravata verba eius codicibus nobis tradita sunt, ut certe non paucis locis ea restitui in priorem statum aliqua cum probabilitate vix possint. Auget hanc emendandi difficultatem, quod notitia codicum adhuc valde manca est et incerta; nam quae de eorum scripturae discrepantia singulis locis traduntur, maximam ea partem collationibus abhinc duo saecula factis nituntur, quas negligentissimo illis temporibus factas esse apud omnes constat. Quo fit ut qui libri sint optimi, qui deteriores, qui maxime sequendi, qui neglegendi, quae ratio et cognatio intercedat inter eos, nec sciamus nec scire possimus nisi antea codices locis diversissimis in bibliothecis repositi accuratius sint inspecti atque examinati. Quamobrem difficile opus me esse aggressurum quamquam non ignorabam, vicit tamen studium opitulandi pro virili parte ei scriptori, qui praeter ceteros immerito fere prorsus neglectus iaceat neque me operae consumptae poenitebit, si nonnulla ex eis, quae infra proferam, comprobatione digna videbuntur. Restat ut commemorem, verba quae commentatione vel emendata vel explicata sunt, in initio singulorum locorum secundum Wagneri editionem esse scripta.

XIV, 10, 12.

Imperator vero officiorum, dum aequis omnibus alienae custos salutis, nihil non ad sui spectare tutelam rationes populorum cognoscit, et remedia cuncta, quae status negotiorum admittit, arripere debet alacriter, secunda numinis voluntate delata.

Sic habent codices, quantum quidem ex silentio editorum conicere licet, nisi quod pro *rationes populorum cognoscit et remedia* teste Valesio legitur in codice Regio *ratio* (sequitur lacuna unius vovulae capax) *et remedia*, in Florentino *ratio et remedia*. Praeterea Wagnerus dicit deesse coniunctionem *dum* in codicibus notae optimaee, sed qui sint hi codices et unde Wagnerus hoc cognoverit,

intelligi non potest, contra testatur Valesius in codice Regio et in editione Romana esse eam coniunctionem neque ex codice Lindenbrogii discrepantia scripturae est indicata, ut is in hac re cum Regio consentire videatur. Certe non cum Joanne Hermanno*) Valesium vituperaverim quod *dum* voculam immerito in Ammiani verba receperit, ut ex *et* particula, quae utrumque enunciatum coniungat, satis appareat. Potest enim *et* significare *etiam*, ita ut, si lacuna, quae est in codicibus post *ratio*, verbum aliquod excidisse statuamus, ad quod *dum* particula sit referenda, a constructione quidem verborum dubitatio non restet. Verum ex emendatione infra proposita apparebit, longe alia eaque optima ratione *et* literas posse explicari. Quae Valesius et Wagnerus ad explendam lacunam addiderunt, quorum ille scripsit *rationes rerum ac temporum ponderare*, hic *rationes populorum cognoscit*, nimis multa sunt prae paucitate earum literarum quae exciderunt. Sed etiam multo graviores dubitationes his emendationibus moventur, quas afferre supersedere mihi liceat, cum uterque sibi ipsi se non satisfacere libere profiteatur. Gronovius totum locum ita constituit: *imperator vero, officiorum aequis omnibus alienae custos salutis, dum nihil non ad sui spectare tutelam ratio est, remedia cuncta e. q. s.* Ad ea explicanda haec addidit: „Officiorum aequa vocat, quae aliis iusta dicuntur h. e. per omnia quae arripere potest, non tam ad suam, sed potius communem salutem pertinentia, circumspiciens eam et curans. Huic imperatori ratio est, nihil non ad sui spectare tutelam.“ Hanc Gronovii medelam nimis quaesitam optimo iure dicit Wagnerus. Videamus igitur num nobis in loco paene desperato res melius procedat. Lacunam suppleo verbis *rationem habet* i. e. considerat; cfr. Ciceronis Verr. act. II lib. 2 cap. 29: *hoc rationis habebant, facere eos nullo modo posse ut eodem crimine, eisdem testibus Sopatrum condemnarent eidem homines, qui antea absolvissent.* Pro *aequis* cum Castello scribo *aequus* ita ut sententia existat haec: considerat imperator nihil non, i. e. omnia sibi esse curanda, cum omnibus aequus custos alienae salutis sit; nam *non post nihil* nequam a librario additum est, ut Wagnerus et Valesius voluerunt, quod vel per se omni probabilitate caret. *Sui tutela* non interpretandum est, ut *sui* sit genetivus, qui a grammaticis dicitur obiectivus, in quo errore eidem viri videntur fuisse, sed vel subiectivus, vel omnino positus pro pronomine possessivo; est igitur sua tutela, quam ipse aliis gerit. Cfr. XV, 7, 6: *hoc administrante Leontio Liborius Christianae legis antistes, a Constantio ad comitatum mitti praeceptus est, tamquam Imperatoris iussis et plurimorum sui consortium decretis absistens*; XVI, 12, 23: *hoc itaque disposito dextrum sui latus struxere clandestinis insidiis et obscuris*; XVI, 12, 64: *Tunc Julianus, ut erat fortuna sui spectatior meritisque magis quam imperio potens e. q. s.*; XXIII, 6, 6: *Quamobrem numinis eum (sc. Arsacem) vice venerantur et colunt eousque propagatis honoribus, ut ad nostri memoriam non nisi Arsacides is sit, quisquam in suscipiendo regno cunctis anteponatur*; XXVIII, 1, 37: *quibus ad sui societatem adnexis facile eos absolvi posse firmabant*; XXX, 5, 19: *perissetque cruciabiliter innocens iuvenis, ni tribunus stabuli Cerealis dirum nefas cum sui periculo distulisset*; XXX, 10, 6: *Et licet cum haec agerentur, Gratianum indigne laturum existimantes absque sui permissu Principem alium institutum e. q. s.*; XXXI, 5, 17: *nisi quod postea latrociniales globi vicina cum sui exitio rarius incurtabant*; XXXI, 7, 9: *contra Romani his cognitis ipsi quoque exsomnes verebantur hostes, eventum licet ancipitem, ut numero satis inferiores, prosperum tamen ob iustiore sui causam mentibus expectantes impavidis*; XXXI, 10, 4: *non sine sui iactura afflictos graviter adultis viribus averterunt.*

*) Observationes criticae Ammianae scripsit J. Hermann Bonnae 1865 p. 8.

Restant emendanda verba: *imperator vero officiosus*, quae quamquam sicut codicibus tradita sunt intellegi prorsus non possunt, tamen levi mutatione facta omnia recte se habebunt, scribendum enim est *officiosus* i. e. qui multa officia sua ita et decet exequitur, quem nos dicimus pflichtfertig. Sed video ad hanc huius adiectivi notionem probandam pauca esse addenda. Negari non potest fere semper officiosum cum nominari, qui libenter alicui beneficium tribuat vel auxilium suum praestet, cum id facere non debeat, sed quid impedit, quominus statuamus, posse officiosum eum quoque dici, qui id quod facere debet, libenter peragat, praesertim cum non prorsus exemplis huius significationis careamus? cfr. Ciceronis Tusc. disp. III, 28, 70: *nulla enim admiscetur opinio officiosi doloris*, qui est dolor quem quis habere debet. Totus igitur locus mea sententia ita est constituendus: *Imperator vero officiosus dum aequus omnibus alienae custodit salutem nihil non ad sui spectare tutelam rationem habet, remedia cuncta, quae status negotiorum admittit, arripere debet alacriter, secunda numinis voluntate delata.*

XV, 2, 1.

Jamque post miserandam deleti Caesaris cladem sonante periculorum iudicialium tuba, in crimen laesae maiestatis arcessebatur Ursicinus.

In primis verbis mire variare codices dicit Valesius. Florentinus et Vaticanus habent *post petisendam*, Regius *post desiderandam*, Fauchetii liber *post pestiferam*, ex quo fecit Valesius *post miserandam*, Gronovius *post exsecrandam*, vide ne probabilius sit *post permiserandam*. Quod adiectivum quamquam non reperitur in eis veterum scriptorum libris, qui quidem nobis sint traditi, tamen eam ob causam non est quod a nobis improbetur, quandoquidem apud Ammianum permulta vocabula, quae Graeco dicuntur ἀπαξ εἰρημένα, reperimus. Sed quoniam quo plura exempla afferentur, eo apertius sententiam nostram probabilem esse demonstrabitur, infra ponam omnia, nisi quod me fugit, vocabula, quae apud solum Ammianum aut uno aut nonnullis locis leguntur.

abstruse 28, 1, 49; adsecare (deest in lexicis) 31, 8, 8; afflagrans 21, 12, 23; aliquantorsum 22, 8, 48; allenimentum 27, 3, 9; ambestrix 29, 3, 9; antemuranus 21, 12, 13; anteversio 21, 5, 13; caerimoniosus 22, 15, 17; celate 14, 7, 21; celebrabilis 29, 5, 56; circumcircare 31, 2, 23; circumfractus 22, 8, 15; 29, 4, 5; circumgressus 22, 2, 3; 22, 8, 30; circumhumatus 22, 12, 8; circummurans 14, 6, 4; 21, 13, 2; circum situs 23, 6, 17; 23, 6, 55; 24, 7, 2; 29, 5, 33; 29, 6, 6; circumstridere 14, 11, 17; commarcere 17, 10, 1; 31, 12, 13; commarginare 31, 2, 2; concatervatus 29, 5, 38; 31, 13, 2; con crustatus 17, 7, 11; 30, 6, 5; concursatorius 16, 9, 1; 21, 13, 1; 31, 16, 5; conferte 24, 7, 7; 27, 1, 3; consociatim 15, 11, 3; consuete 23, 2, 8; contemplabiliter 20, 7, 9; 20, 11, 15; conterminare 14, 2, 5; 14, 8, 5; 23, 6, 45; contogatus 29, 2, 22; conturmalis 16, 12, 45; 17, 1, 2; conturmare 16, 12, 37; convectione 14, 10, 4; coriaceus 24, 3, 11; cortinula 29, 1, 31; cothurnate 28, 1, 4; crapulentus 29, 5, 54; curvescere 22, 8, 5; destinate 18, 2, 7; 20, 4, 14; 20, 7, 10; 21, 15, 2; 25, 5, 3; 25, 9, 4; 27, 3, 1; difflatus 15, 11, 18; discursator 14, 2, 6; 16, 12, 21; 21, 7, 4; 29, 5, 7; 31, 10, 21; diversari (prorsus alia sententia quam usitatissimum deversandi vocabulum) 22, 16, 10; divolvere 26, 4, 3; efferasco 18, 7, 5; effusorie 31, 16, 7; eruptor 24, 5, 9; exacervans 23, 5, 3; excursator 24, 1, 2; 25, 1, 2; exnunc 21, 10, 2; extentius 18, 6, 13; 23, 4, 2; exularis 14, 5, 1; 15, 3, 2; festinate 24, 6, 11; fluentia 30, 4, 10; fetalis 28, 2, 1; garritor 22, 9, 11; genialitas 30, 1, 22; globatim 27, 9, 6; grand-

Stus 18, 6, 22; **gravidulus** 23, 6, 85; **hicrographicus** 22, 15, 30; **imbractare** 14, 6, 8; 17, 4, 15; 25, 4, 12; **impedire** 30, 4, 18; **implacabilitas** 14, 1, 5; 26, 10, 13; 28, 1, 38; **impraepedito** 17, 10, 5; 21, 10, 5; 22, 12, 7; 27, 10, 2; **impraepedito** 26, 6, 11; **impraepeditus** 21, 5, 6; 30, 2, 4; **impropagatus** 26, 5, 12; 27, 12, 15; 29, 6, 10; **impurgabilis** 22, 3, 8; **inconvolutus** 29, 2, 21; **indimensus** 19, 2, 4; **inexpedibilis** 31, 13, 15; **infigurabilis** 24, 4, 15; **infirmitas** 17, 13, 12; 29, 2, 1; **ingravata** 17, 10, 10; 18, 2, 6; **inordinatum** 19, 7, 3; **insatiabilitas** 31, 4, 11; **insidiatrix** 23, 5, 21; 24, 4, 29; 27, 10, 11; **insulosus** 22, 8, 2; 23, 6, 10; **interclamare** 31, 13, 1; **internecive** 27, 9, 6; 30, 3, 7; **intimide** 26, 6, 17; **introvocatus** 29, 1, 25; **irremisso** 29, 2, 10; **irrisive** (ex emendatione Valesii certissima) 16, 12, 67; **irritate** 22, 15, 19; **iudicium** 27, 11, 1; 28, 4, 14; **iurgatorius** 27, 1, 5; **laccessitio** 19, 3, 1; 25, 6, 11; **latabilis** 19, 4, 7; **linealis** 22, 8, 20; 22, 16, 7; **litorio** 17, 11, 1; **obluridus** 14, 6, 17; **obmurmuratio** 26, 2, 3; **octennis** 18, 6, 10; **originitus** 31, 2, 20; **palpamentum** 27, 11, 6; **pensabilis** 31, 13, 11; **peragranter** 14, 1, 6; **perhumilis** (deest in lexicis) 16, 10, 10; **permonstrans** 18, 6, 9; **perplexitas** 31, 2, 12; **pervalidus** (apud Livium 40, 47 sine dubio recte nunc editur praevolidus) 29, 1, 2; **poenaliter** 16, 8, 2; **porrocto** 20, 3, 10; 21, 9, 1; 25, 2, 6; 29, 5, 48; **praecursor** 16, 12, 8; **praegressus** 21, 5, 13; **praemiatrix** 14, 11, 25; **praepigueratus** 29, 2, 6; **praescitio** 29, 1, 31; **praespeculatus** 25, 8, 11; **praetentura** 14, 2, 4; 14, 3, 2; 21, 13, 3; 25, 4, 11; 31, 8, 5; **praeterinquirere** 15, 5, 12; **praeventor** 18, 9, 3; **proculcator** 27, 10, 10; **proludium** 14, 11, 3; 16, 5, 10; 23, 6, 83; 28, 1, 10; **propilare** 16, 12, 36; **proruptor** 24, 5, 5; **putridulus** 22, 16, 16; **reclangere** 17, 7, 4; **rogibilis** 16, 12, 10; 19, 7, 8; 24, 3, 8; 27, 10, 9; **repulsorius** 24, 4, 7; **reposco** (substantivum) 22, 16, 23; **ritualiter** 29, 1, 29; **rotabilis** 23, 4, 2; **sabaiarius** 26, 8, 2; **saevitare** 19, 10, 2 (deest in lexicis); **sarcinalis** 15, 5, 3; 29, 4, 5; 29, 5, 55; **sebalis** 18, 6, 15; **secretim** 29, 1, 6; **semiinteger** 20, 5, 4; **semiorbius** 23, 6, 75; **serratorius** 23, 4, 4; **squaliditas** 26, 5, 15; **subcurvus** 26, 9, 11; **subfrigidus** 17, 11, 4; **submaestus** 15, 8, 11; 30, 1, 2; **submigratio** 25, 9, 1; **subscruposus** 21, 16, 3; **subsidualis** 14, 6, 17; 27, 10, 15; 29, 5, 47; 31, 7, 12; **substrido** 16, 4, 2; **subtabidus** 26, 6, 15; **subtervolvo** 22, 8, 48; **suffrendo** 15, 12, 1; **superventor** 18, 9, 3; **traductus** 18, 8, 2 (ubi Lindenbrogus *tractus* scribendum esse coniecit); **transitor** 15, 2, 4; **transensus** 19, 5, 6; **tumidosus** 21, 10, 3; **undose** 27, 4, 7; **vanities** 21, 1, 13; 29, 1, 11; **vaporate** 24, 4, 17; **vastabundus** 31, 8, 6; **vastatorius** 18, 6, 9; 19, 9, 7; 26, 8, 10; 27, 2, 2; 29, 6, 6; 31, 7, 7; 31, 9, 3; 31, 11, 4; **vastitare** 16, 4, 4; 26, 5, 9 (deest in lexicis); **volucriter** 17, 1, 12; 20, 4, 21; 21, 9, 6; 28, 6, 21; 29, 1, 18; **vulgate** 15, 3, 6; 17, 4, 9; 31, 3, 2.

Vides plus centum quinquaginta vocabula, quae apud solum Ammianum reperiuntur, inter quae duo sunt composita ex adiectivo et *per* particula ad notionem adiectivi simplicis magis efferendam. Qua multitudine omnis de novo apud Ammianum formando vocabulo dubitatio, si quidem literarum formae voculis in codicibus corrupte traditis talem emendationem indicare videntur, prorsus tollitur.

XIV, 1, 3.

Cuius (sc. Clomatii) socrus cum misceri sibi generum, flagrans eius amore, non impetraret, ut ferebatur, per palatii pseudothyrum introducta, oblato pretioso reginae monili id adsecuta est, ut ad Honoratum, tum comitem Orientis, formula missa letali, homo scelere nullo contactus idem Clematius, nec hiscere nec loqui permissus, occideretur.

Ad verba *homo sceleris nullo contactus idem Clonatus* haec adnotavit Wagnerus „*idem Clonatus* uacuis inludere debebam; est enī glossēma.“ Quod primo quidem aspectu verissimum videtur. Sed si cum his verbis nonnullos alios locos comparaverimus, Ammianum a nimia verborum copia non abhoruisse videbimus, nisi forte putamus, omnibus quae infra afferam locis alienas interpretationes ipsius scriptoris verbis esse additas. Legantur XIV, 7, 3 haec verba: *Erat autem ditritatis eius hoc quoque iudicium nec obscurum nec latens, quod ludicris cruentis delectabatur*; XV, 4, 1: *digestis dū consillis id visum est honestum et utile, ut eo cum militis parte Ardetio magister equitum cum validiore exercitus manu relegens margines lacus Brigantiae pergeret*; XV, 7, 10: *quo non impetrato Libertus aegre populi metu qui eius amore flagrabat cum magna difficultate noctis aedio potuit absportari*; XV, 13, 2: *prudens alta* (sc. Mursionanus) *tolerabilisque prociacis et mitis et blandus; sed ex qualibet occasione maximeque ex controversis litibus, quod nefandum est, et in totum lucrandi aviditate sordescens*; XVII, 11, 5: *cuius* (sc. Artemii) *administratio seditioes perpessa est turbulenta nec memorabile quidquam habuit quod narrari sit dignum*; XVI, 11, 12: *ex comneatu, qui eis recens advectus est, ideo nihil sumere potuerunt, quod partem eius Barbatio, cum transiret iuxta, superbe praesumpsit: residuum, quod superfuit congestum in acervum exussit*; XVII, 13, 25: *iamque discessurus convocatis cohortibus et centuriis et manipulis omnibus — his exercitum adlocutus est; cuius similes sunt loci XXI, 13, 9: omnes centurias et manipulos et cohortes in concionem vocavit concinentibus tubis et XXIII, 5, 15: cum centuriarum omnes et cohortes et manipuli convenissent; XVII, 13, 30: hisque secundo finitis eventus, lenitatis tempus aderat tempestivae; XVIII, 2, 15: postque sumpimenta fragilium penatum inflammata et obtruncatam hominum multitudinem visosque cadentes multos aliosque supplicantes e. q. s.; XIX, 5, 5: oppidano transfuga quodam ductante, qui ad diversam partem desciverat; XX, 5, 2: alacres omnes visos et laetos quasi lituis, verbis, ut intelligi possit, simplicibus, incendebat, ubi Wagnerus: „haec verba (sc. ut intelligi possit) glossam sapiunt.“ XX, 8, 13: *praeebo cis Rhenum editam barbarorum progeniem vel certe ex dediticiis, qui ad nostra desciscunt; XXI, 5, 5: altius affecto maiora; XXI, 16, 9: addebatur miserorum aerumnis qui rei maiestatis imminutae vel laesae deferebantur acerbitas eius et iracundae suspiciones; XXII, 8, 20: haud procul inde attollitur Carambis placide collis, contra septentrionem Helicen exurgens, ubi Wagnerus „prior vox,“ inquit, „glossam sapit, nam Helice est ursa maior“; XXII, 15, 9: *aestuans* (sc. Nilus) *inundatione ditissima ad cataractas id est praeruptos scopulos venit; ad quae idem Wagnerus haec adnotavit: „verba id est praeruptos scopulos glossēma sunt, quod iam viderat Reinesius“; XXII, 16, 18: cuius* (sc. medicinae) *in hac vita nostra nec parva nec sobria desiderantur adminicula crebra; XXIII, 6, 48: post huius terminos gentis Carmania maior erigitur fructuariis arboreisque fetibus culta; XXIV, 6, 1: ventum est hinc ad fossile flumen Naharmalcha nomine, quod amnis regum interpretatur, tunc aridum; verba notata per se quidem quamquam dubitationem non movent, tamen non omni carent suspitione, cum in eiusdem libri 2, 7 haec legantur: *alia* (sc. pars fluminis) *Naharmalcha nomine, quod fluvius regum interpretatur, Clesiphonta praetermeat; XXVI, 7, 7: utque in certaminibus intestinis usu venire contingit.* Omnes hi loci ita sunt comparati ut singulis verba quaedam a librariis perperam esse addita facile putare possimus, sed magna eorum locorum pars qua ex causa factum sit ut interpolaretur, intelligere prorsus non possumus.***

quare in eam sententiam adducor ut credam, si quaedam orationi vel supervacanea vel adeo languida addita videantur, non eam ob causam solam necessario haec esse ab Ammiano abiudicanda. Possunt igitur certe ferri addita *idem Clematius* ad hominem nullo scelere contactum accuratius significandum, quamquam illis verbis non additis in vitium obscuritatis scriptor non incurrisset. Quid? si Ammianus iaverso ordine *idem Clematius, homo nullo scelere contactus* scripsisset, nonne omnis interpolationis suspicio esset sublata? At habemus in promptu nonnullos locos similes, ubi appositio quae dicitur nomen praecedat: XVII, 4, 3: *posteaque reparatam* (sc. Thebas urbem) *Persarum rex ille Cambyses, quoad vixerat, alieni cupidus et immanis, Aegypto perrupta aggressus est*; XVII, 1, 6: *quae res Germanorum perculit animos, atque desertis insidiis, quas per arcta loca et latebrosa struxerant nostris, trans Moenum nomine fluvium ad opitulandum suis necessitudinibus avolarunt*, i. e. fluvium, Moenum nomine; simili modo XVII, 10, 5 *Hortarii nomine petendus erat regis alterius pagus* dictum est pro: *regis alterius, Hortarii nomine*, atque XXIII, 5, 12 *et post minacem tonitruum crebritatem et fulgurum Jovianus nomine miles de coelo tactus cum duobus equis concidit* scriptum pro: *miles Jovianus nomine*; nam quod Wagnerus in adnotatione, „recte Stewechius,“ inquit, „ad Vegetii I, 17, p. m. 53 *tò nomine expungi iubet ut glossema, nam militem esse legionis Joviorum, cuius et alibi apud Nostrum fit mentio. Uncinis igitur inclusi*“ quamquam potest verum esse, tamen usu loquendi Ammiano ex duobus quos supra attuli locis simillimis considerato certe omni [paene probabilitate destitutum videmus: quid enim impedit quominus statuamus, militi ipsi nomen fuisse Joviano? Ut igitur ad eum locum redeamus unde exorsi sumus, id disputatione nostra profectum esse putamus, ut verba, quae in initio commentationis perscripsimus, duabus oculis *idem Clematius* servatis ab sermone Ammiani non esse aliena concedamus.

XIV, 1, 10.

Quibus mox Caesar acrius efferatus, velut contumaciae quoddam vexillum altius erigens, sine respectu salutis alienae vel suae, ad vertenda supposita instar rapidi fluminis irrevocabili impetu ferebatur.

Supposita participium ab Wagnero explicatur „obvia quaeque“, sed id dubitatione non carere cum ipse sentiat haec addit: „fortasse et hoc loco Ammianus scripserat *apposita*, quod est XIV, 2, 9; XVII, 7, 2; XX, 3, 5. Requiritur sane notio obvii adiectivi, indicata comparatione rapidi fluminis, quod omnia sibi opposita secum trahit; verum haec nec in supposito nec in apposito inesse potest, quare legendam esse conicio: *ad vertenda sibi opposita*.

XIV, 2, 2.

Ita omnes instar turbinis digressi montibus impeditis et arduis loca petivere mari confinia.

Legendum est *degressi montibus*, sicut in eiusdem libri 5, 8: *iam destructum mucronem in proprium latus impegit*; XXVII, 5, 4: *familiarum rapuit partem* (sc. Valens) *quae antequam ad derupta venirent et flexuosa, capi potuerunt, per plana camporum errantes*; aperte enim opponuntur planae regiones deruptis; cfr. inter alios locos Taciti annalium IV, 45: *postquam saltuosos locos alligerat, dimisso equo per derupta et avia sequentis frustratus est* et VI, 21: *per avia ac*

Scripta (nam satis domus inuinet) praecipat cum. Praeterea emendandum est apud Ammianum XXVII, 6, 16: nec enim quisquam antehac adscivit sibi pari potestate collegam praeter principem Marcus, qui Verum adoptivum fratrem absque diminutione aliqua auctoritatis imperatoriae socium fecit, quod multo probabilius est Ammianum scripsisse quam diminutione; XXVIII, 1, 16: in quorum miseriis velut sui quisque discriminis cernens imaginem, tortorem et vincula somniabat et deversoria tenebrarum; idem vocabulum restituendum est XXX, 1, 14; XXII, 8, 25: [Aethi stabilem domiciliis sedem nusquam reperientes, verticibus montium insedere semper nivalium et horrore coeli distracti victum etiam sibi cum periculis rapto parere adsuefacti sunt, quo loco districtus participium sana ratione explicari non potest. Contrario errore scriptum XV, 2, 6 in codice Regio: facinus impium ad deliberationem secundam deferri praeceptum est, quod iam Valesius emendavit.

XIV, 2, 12.

Ubi victu recreati et quiete (sc. Isauri) postquam abierat timor, vicos opulentos adorti, equestrium adiumento cohortium, quae casu propinquabant, nec resistere planitie porrecta conati, digressi sunt.

Isauros narrat Ammianus cum populabundi Pamphyliam peragrarent, venisse prope oppidum Laranda, ubi vicos adorti quominus expugnarent prohibiti sunt cohortibus quibusdam auxilium incolis ferentibus nec ausi in planitie porrecta equitibus resistere discesserunt. Sic omnia plana sunt, modo ne desit apud Ammianum defendendi verbum ad sententiam necessarium, quod excidisse etiam *adiumento* ablativus ostendit, qui quo referatur non habet. Addendum igitur post *propinquabant* vel *repulsi* vel *prohibiti* participium.

XIV, 6, 10.

Alii nullo quaerente, vultus severitate adsimulata, patrimonium suum in immensum extollunt, cultorum ut puta feracium multiplicantes annuos fructus, quae a primo ad ultimum solem se abunde iactitant possidere.

Hoc capite Ammianus vitia Romanorum exagitat, inter quos sunt, qui divitias suas in immensum iactatione extollant. Codices habent *cultorum ut putant feracium multiplicantes annuos fructus*, quod ad sententiam non esse accommodatum iam Valesius vidit. Non enim refert, eos homines putare, se culta feracia possidere, sed id aliis dicere. Quare Valesius se malle dicit *utpote* vel *ut puta*. Quod per se quidem spectatum aptissimum est, sed tum Ammianum agros ipsum feraces nominavisse statuendum erit, at multo maior videtur iactatio, si ipsi illi homines vani agros feraces nominant, qui fortasse non ita feraces sunt. Scribo igitur *cultorum ut usurpant feracium* i. e. ut semper in ore habent, cfr. Ciceronis oration. Philipp. II, 70: *at quam crebro usurpat: et consul et Antonius.*

XIV, 6, 11.

Et dotatur ex aerario filia Scipionis, cum nobilitas florem adultae virginis, diuturnam absentiam pauperis erubesceret patris.

Quod cur Wagnerus servaverit, equidem intellegere non possum, nam nobilitas profecto non erabit absentiam diuturnam pauperis patris, P. Cornelii Scipionis, quae honestissima erat ei in Hispania contra Carthaginienses felicissime bellum gerenti. Scribendum igitur *diuturna absentia* vel cum Gronovio *diuturna in absentia* i. e. bei der beständigen Abwesenheit.

XIV, 6, 13.

Agnitus vero tandem et adscitus in amicitiam si te salutandi assiduitati dederis triennio indiscretus et per totidem defueris tempus reverteris ad paria perferenda: nec ubi esses interrogatus et num e medio discesseris, aetatem omnem frustra in stipite conteres submittendo.

Sermo est de honesto advena, qui adscitus in amicitiam ab homine diviti per triennium se assiduitati salutandi dederit. Cum autem defuerit per tempus totidem dierum (sic enim cum Valesio legendum) omnem operam in comparanda amicitia frustra collocaverit et ad paria perferenda i. e. ad omnia denuo facienda revertetur; ita frustra divitem hominem vere benevolum sibi reddere studebit. Haec aperta est sententia huius loci, quae in ultimis verbis, qualia codicibus traduntur, inesse non potest, stipitem enim submittere non significat „cervicem prae fastu rigidam flectere et mollire,“ ut Wagneri est sententia, sed sibi subicere et humilem facere, id quod Ammianus dicere noluit, nam contra ille advena se diviti homini subicit ut in eius amicitia haereat. Ut igitur haec sententia efficiatur, leni mutatione opus est: *in stipiti te conteres submittendo.*

XIV, 6, 18.

Quod cum ita sit, paucae domus, studiorum seriis cultibus antea celebratae, nunc ludibriis ignaviae torpentis exundant, vocali sono, perflabili tinnitu fidium resultantes.

Pauci adiectivi notio ab hoc loco prorsus aliena est, nam Ammianus, ut supra dixi, incolas Romae vituperans opponit eis studia laudabilia, quae antea i. e. antiquo tempore celebrabantur; at nec laus esset temporis praeteriti, nec vituperatio praesentis temporis, si paucae tantum domus et eam laudem antea et vituperationem tempore scriptoris meruisse dicerentur. Emendandum igitur *patriciae* i. e. nobiles domus.

XIV, 7, 5.

Consularem Syriae Theophilum prope adstantem, ultima metuenti multitudini dedit (sc. Gallus Caesar) adsidue replicando, quod invito rectore nullus egere poterit victu.

Cum plebs Antiochensis suppliciter obsecraret Gallum Caesarem, ut inediae dispelleret metum, nulla re periculum ipse prohibere conatus est, sed omnem et curam et culpam annonae transtulit in rectorem Antiochiae; invito rectore, inquit, nullus egere poterit victu. Quid sit illud *invito* equidem cogitatione assequi non possum, cum expectemus rectore prospiciente, curam adhibentem vel tale quid. Hanc autem sententiam efficere possumus scribendo: *iusto rectore* i. e. cum rector officia sua, ut decet exequitur.

XIV, 7, 21.

Quas (sc. orientales provincias) recensere puto nunc opportunum, absque Mesopotamia, iam digesta cum bella Parthica dicerentur et Aegypto, quam necessario aliud reieci ad tempus.

Ex codice Florentino Lindenbrogii affertur scriptura *necessario aliud reieci ad tempus*, de ceteris libris tacetur. Illum si sequemur, quod utrum recte an secus fiat nunc quidem diiudicari non licet, scribendum erit: *reiecimus ad tempus*.

XIV, 9, 3.

Cuius (sc. Caesaris) imperio truci ac stimulis reginae, exertantis aurem subinde per aulacum, nec diluere obiecta permissi nec defensi periere complures.

Codex Regius (de ceteris libris tacetur) habet teste Valesio: *cuius imperio truces tima stimulis reginae* ex quibus literis Valesius fecit id quod supra posuimus resectis aliquot vocibus, quas ab imprudente antiquario male repetitas esse putat. Multo autem verisimilius videtur *tima* literas esse depravatas sanae vocis reliquias, ita ut sit legendum: *cuius imperio trucissimo ac stimulis reginae*.

XIV, 11, 26.

Voluntatumque nostrarum exorsa interdum alio quam quo contendebant, exitu terminans (sc. Nemesis) multiplices actus permutando convolvit.

Loquitur Ammianus de Adrastia vel de fato, quod saepe consilia hominum ad irritum redigat ea alio quam quo contendebant exitu terminans; itaque permutat actus ut qui felicem exitum habituri videantur, infelicem re vera habeant. Ad hanc sententiam exprimendam non satis apta est notio *convolvendi* quae cum permutandi verbo coniuncta necessario significat: efficere ut omnia sursum deorsum ferantur, ut modo felicem exitum acta humana habeant, modo infelicem; at cum Ammianus dixerit, voluntatum nostrarum exorsa alio quam quo contendebant exitu terminans nullus exitus est cogitandus nisi infelix. Aptius igitur ad sententiam convellendi verbum esse puto ut emendandum sit: *permutando convellit*.

XV, 2, 5.

Igitur paucis arcanorum praefectis consciis latenter cum Imperatore sententiam rogante id sederat ut nocte ventura procul a conspectu militarium raptus Ursicinus indemnatus occideretur.

Codices teste Valesio habent: *cum imperatore sententia id sederat*. Sermo est de Arbitione, qui Ursicinum collegam specie amicitiae impugnabat letales insidias ei paraturus. Igitur paucis praefectis arcanorum consciis constituit nocte ventura Ursicinum occidere. Sed quid sibi volunt verba: *latenter cum imperatore sententiam rogante*? Nonne si recte rogandi verbum additum esset sic potius scribendum fuit: *latenter imperatorem sententiam roganti* omissa *cum* praepositione? Sed quoniam *cum imperatore* in omnibus libris traditum est, tale verbum lacuna excidisse apparet, ad quod eae voces apte referri possint. Addendum igitur *collata* i. e. postquam cum imperatore sententiam communicavit; poteram etiam *communicata* scribere, sed si quid fidei haberi potest Valesio, lacuna est minor quam ut tot

litteras excidisse sit probabile. *Sententiam cum imperatore conferre* prorsus eodem modo dicitur quo sermones vel consilia cum aliquo conferre, de quo vide Ciceronis Philipp. II, 38: *An ille quocumque plus dilexit? cum ullo aut sermones aut consilia contulit saepius?*

XV, 3, 4.

Et Paulo quidem, ut relatum est supra, Catenae inditum est cognomentum eo, quod in complicandis calumniarum nexibus erat indissolubilis, tetra venena serens varieque disperdens: ut in colluctationibus calce tenere quidam solent artifices palaestritae.

Vaticani et Florentini scriptura haec est: *erat indissolubilis intra invenerum sese varietate dispendens*; in codice Regio post *indissolubilis* lacuna est, sequuntur verba *varietate dispendens*. Quae Valesius hoc modo emendavit: *eo quod in complicandis calumniarum nexibus erat indissolubilis tetra inventorum sese varietate distendens*; *inventorum* quidem scripsit satis accommodate ad sententiam, *tetra* autem vocabulum Gronovius recte vituperans lenissima mutatione *mira* scribendum coniecit. At *distendendi* verbum hoc loco prorsus alienum videtur, quare in hac scriptura acquiescere non possumus. Neque vero quod Salmasius coniecit ad Solinum p. 291: *miram in nodorum varietatem sese dispendens*, propter ineptam imaginem ferri potest. Jam antequam nostram emendationem proferamus, consideremus qualis sententia inesse videatur eis verbis, quae apertissime corrupta codicibus nobis traduntur. Cum quomodo Paulo cognomen *catenae* sit inditum, a scriptore explicetur, primaria est notio *complicandi* et quidem complicabantur nexus calumniarum; fingebantur igitur a Paulo contra veritatem crimina. Hanc sententiam consideranti ita Ammianus scripsisse mihi videtur: *eo quod in complicandis calumniarum nexibus erat indissolubilis mira inventorum serie veritatem disperdens*. Vides omnia aptissime cohaerere ut *series inventorum* respondeat *nexibus complicandis* atque *calumniis* verba *veritatem disperdens*. Accedit quod *series* proprie de *catena* dicitur, de qua ipsa hoc loco sermo est.

XV, 4, 3.

Et navigari ab ortu poterat primigenio copiis exuberans propriis, ni ruenti curreret similis potius quam fluenti. Jamque absolutus atque divortia riparum adradens, lacum invadit rotundum et vastum, quem Brigantiam accola Rhaetus appellat.

Locus est admodum mutilus, cuius magnam partem Valesius felicissime emendavit. Minus bene rem gessit in explenda lacuna quae est post *iamque* vocabulum. Leguntur enim in codicibus haec: *iamque ad solutus*; de quibus Valesius: „rectius“ inquit „scripsi *iamque absolutus atque divortia* e. q. s. Quod quidem ad veterum codicum scripturam propius accedit. At fortasse etiam aliquot praeterea desunt vocabula (est enim maior lacuna), quae suppleri possunt in hunc modum: *iamque angustiis absolutus*.“ Ad sententiam quidem hoc satis quadrat, nec quare Wagnerus non hoc potius receperit quam priorem Valesii emendationem, intellegere possum, nam prior, cum prorsus nulla lacunae ratio habeatur, probari omnino non potest. Neque vero altera nobis satis facit, quia lacuna inter voces *ad* et *solutus* est, non inter *iamque* et *ad*, ut recte dixit Gronovius. Quod ipse proposuit Gronovius: *iamque ad Coriam solutus* addens *Coriam* esse vetustam et primariam urbem fere mediam inter ortum Rheni et lacum Brigantiam hodieque notam, potest quidem ab Ammiano profectum esso, sed multo est

probabilius, excidisse verbum quod opponatur sententiae ei quae antecedit. Dixerat enim scriptor ruenti currere similem Rhenum potius quam fluenti, nimirum quod per scopulos fuit et regiones praecipites; iam pergit cum solutum lacum invadere rotundum et vastum, quia alia re solutum quam celeritate nimia et rapiditate? Quae cum angustiis montium potissimum efficiatur, profecto satis recte, ut iam supra dixi, si solam sententiam spectes, Valesius *angustias* addidit, sed nonne multo propius a codicum scriptura aberimus, si emendaverimus: *iamque a declivitate solutus*? Declivitas est etiam apud Caesarem in bell. Gall. VII, 85: *iniquum loci ad declivitatem fastigium magnum habet momentum*, hoc quidem loco dicta de colle, sed ut declivis adiectivum a montium fastigio transfertur ad fluminum cursum, qui montibus declivis fit, cfr. Ovidii Metam. I, 39: *fluminaque obliquis cinxit declivia ripis*, ita etiam declivitas proprie de montibus dicta, eam quoque admittit interpretationem, ut celeritatem cursus declivitate montium effectam ea voce significari putemus.

XV, 4, 7.

Arbetio, qui adventus barbarorum nuntiarent non expectans dum adessent, licet sciret aspera orsa bellorum; in occultas delatus insidias, stetit immobilis malo repentino percussus. Interea visi e latebris hostes exsiliunt et sine parcimonia, quidquid offendi poterat, (telorum genere multiplici confgebant.

In codicibus duae sunt lacunae in hunc modum: *percussus visi e] latebris hostes exsiliunt et sine pars nia quidquid offendi poterat* e. q. s. Supplevit verba, ut supra perscriptum est, Valesius. Sed in priore emendatione non aptum est ad sententiam *interea* adverbium. Nam cum antea dictum sit, Arbetionem stetisse immobilem, malo repentino percussus, iam in eis, quae sequuntur, exponitur, quod hoc malum fuerit; desideratur igitur talis coniunctio, quae indicet posterioribus priora explicari. Praeterea *visi* reliquias integri vocabuli *improvisi* esse puto, cum repentino malo percussus esse Arbetionem antea legerimus. Scribendum igitur est: *Namque improvisi*. Altera lacuna plus tres literae exciderunt, quare solum *parcimoniae* substantivum, recte id quidem a Valesio additum, nobis satisfacere non potest, sed etiam *omnia* addendum puto ita ut legendum sit: *sine parcimonia omnia quidquid offendi poterat* e. q. r.

XV, 5, 12.

Cumque iudices fastidissent, Florentius Nigriniani filius, agens tunc pro magistro officiorum, contemplans diligentius scripta, apicumque pristinorum reliquias quasdam reperiens, animadvertit, ut factum est, priore textu interpolato longe alia quam dictarat Silvanus, ex libidine consarcinatae falsitatis adscripta.

Audiamus Ammianum ipsum paullo ante narrantem nefandum scelus perpetratum ab hominibus nequissimis: „Dynamius quidam actuarius sarcinalium principis iumentorum, commendaticias ab eo (sc. Silvano) petierat literas ad amicos, ut quasi familiaris eiusdem esset notissimus. Hoc impetrato cum ille nihil suspicans simpliciter praestitisset, servabat epistolas, ut perniciosum aliquid in tempore moliretur. Memorato itaque duce Gallias ex republica discursante barbarosque propellente, iam sibi diffidentes et trepidantes: idem Dynamius inquietius agens ut versutus et in fallendo exercitatus, fraudem commiscitur

impium et periculo serie literarum absterge, nisi insidiosi veluti subscriptione, aliter videtur. Quae illa discipulis superscribitur testatur, velat Silvano rogante verbis aliquis participium videtur agere intra palatium vel privatam ut se altiora occupantem et propediem solium principis editurum invenirent." Jam quae verba in initio perscripta sunt, si sententiam universam spectes, quid significant, apertum esse patet. Sed quomodo explicanda sint illa: *ex libidine consarcinatae falsitatis* equidem me nescio fatetur. Quid est enim falsitas consarcinata? Profecto non falsitas consarcinatur, sed crimina vel verba falsitate, cfr. XVI, 1, 3: *quidquid autem narrabitur, quod non falsitas arguta concinat sed fides integra rerum absolvit*; XXIX, 1, 43: *constrictus etiam Diogenes laqueis impiæ falsitatis capitali est poena affectus*. Sed ut concedamus posse falsitatis substantivum singulari numero adhibitum apud Ammianum etiam ipsas res falsas significare, libido consarcinatae falsitatis explicari sana ratione certe non potest, cum non falsae res libidinem habeant, sed is qui falsas res consarcinat. Nullo igitur modo quoniam libido consarcinatae falsitatis intellegi potest, conicio Ammianum scripsisse, *longe alia quam dictarat Silvanus ex libidine consarcinata falsitatis adscripta*, ut *consarcinata* participium referatur ad *alia* pronomen et *falsitas* significet animum eius, qui falsum sensum habeat.

XV, 5, 15.

Agens inter haec apud Agrippinam Silvanus, assiduisque suorum compertis nuntiis, quae Apodemius in labem suarum ageret fortunarum et sciens animum tenerum, versabilis principis timens ne absens et indemnatus perageretur reus: in difficultate positus maxima, barbaricae se fidei committere cogitabat.

Codex Regius Tolosanusque (de ceteris libris tacetur) habent *principis aretur absens et indemnatus* e. q. s., quare Valesius scribendum proposuit: *et sciens animum tenerum versabilis principis timens ne proscriberetur absens et indemnatus*, aut quod verius putat: *timens ne damnaretur absens et inauditus*. Sed utraque mutatio movet dubitationem, prior, quod *aretur* reliquiae indicant verbum primae coniugationis excidisse; altera, quod ex *indemnatus* participio sine idonea causa factum est *inauditus*. Gronovius scripsit: *ne trucidaretur absens*, quod Wagnerus probare videtur laudans cum Ernesti XV, 2, 5: *Igitur paucis arcanorum praefectis consciis latenter cum imperatore sententia collata id sederat, ut nocte ventura procul a conspectu militarium raptus Ursicinus indemnatus occideretur*. Eo magis mirandum est, quod ipse in continuationem verborum recepit scripturam a codicum scriptura admodum diversam, quam unde habeat non dicit. Sed ut ad Gronovii emendationem revertamur, primum prorsus supervacaneum est, ab Ernesti et Wagnero laudari locum, ut demonstretur potuisse Ammianum dicere aliquem trucidatum esse indemnatum, nam quid aliud ei ostendere voluerint nescio; tum quod explicandum fuit, non explicaverunt, quid enim sit, aliquem absentem trucidari, equidem intellegere non possum. Neque vere cum eis quae sequuntur satis apte coniungi potest *absens*, ut sit *absens in difficultate positus maxima*; quod quamquam per se dubitationem non movet, tamen *absens* participium coniunctum cum participio *indemnatus*, quod secundo loco positum est, propter diversam sententiam ad verba *in difficultate positus maxima* referri nequit. Nam qui absens est, ea re in maioribus accusationis periculis versatur, quam qui adest, quoniam illi causam dicere non licet, at qui indemnatus est, in minore periculo quam qui damnatus; *difficultates* igitur Silviani quae augerentur priore participio addito, rursus

...sententia alio, quod inoptum est. Evident scribendum putat: *timens ne damnaretur ab eis, ut*
etiam in difficultate positus maneret, ut haec efficiatur sententia: metuit ne obiens damnaretur, cum
caeteris indementis in maxima difficultate esset positus.

XV, 5, 22.

Post haec ita digesta protinus iubetur (sc. Ursicinus) exire, tribunis et protectoribus domesticis
decem, ut postularat, ad iuvandas necessitates publicas ei coniunctis.

In Florentino Tolosano Colbertinoque legitur: *ad iuvandas necessitates publicas et con-*
iunctis; Regius codex lacunam habet nullam. Valesius id, quod supra perscripsimus, coniecit. Sed non
est quod hanc scripturam minime probabilem esse pluribus demonstramus; participium enim excidisse aper-
tum est, quod *et* particula cum eis quae sequuntur coniungatur, ita ut scribendum sit: *tribunis et protec-*
toribus domesticis decem, ut postularat, ad iuvandas necessitates publicas delectis et coniunctis.

XV, 7, 10.

Id enim ille, Athanasio semper infestus, licet sciret impletum, tamen auctoritate quoque qua
potiores aeternae urbis episcopi firmari desiderio nitebatur ardenti.

Quomodo in hac scriptura tacite acquiescere potuerit Wagnerus, non intelligo, praesertim cum codi-
cum scriptura multo sit melior. In Regio legitur *auctoritate quoque potiore aeternae urbis episcopi*,
quod quominus cum Valesio probemus nihil quidem impedit, sed cum Tolosanus et Colbertinus *potiores* habeant,
potest etiam de genetivo cogitari, ut Ammianum ita scripsisse putemus: *tamen auctoritate quoque potioris*
aeternae urbis episcopi. Certum iudicium fieri de hac re non potest nisi codicibus accuratius inspectis
atque examinatis.

XV, 8, 10.

Quia igitur vestrum quoque favorem adesse fremitus indicat laetus, adulescens vigoris tranquilli,
cuius temperati mores imitandi sunt potius quam praedicandi, ad honorem prosperatum exurgat.

Haec Valesius teste Wagnero*) adnotavit: „Heic mendam subesse nemo non videt. Quid est enim
honor prosperatus aut quis unquam ita locutus est? In codice Colbertino [eandem scripturam, quam Colber-
tinus habet etiam Florentinus] lego: *ad honorem prope speratum exurgat*, unde conicio scri-
bendum esse: *ad honorem prope desperatum exurgat* i. e. vix aut nunquam sibi speratum aut certe *ad*
honorem prosperatum, quia Julianus adhuc erat iuvenis et tantae dignitatis paene immaturus.“ Quae Gron-
ovius et Wagnerus non probaverunt. Atque recte quidem Gronovius dicit Ammianum interdum ita loqui,
ut non alius unquam locutus sit neque minus recte Gronovius et Wagnerus laudant Tertulliani apolog. c. 6
prosperatam felicitatem. Verba huius scriptoris haec sunt: *Ubi est illa felicitas matrimoniorum de-*
meritis utique prosperata, qua per annos ferme sexcentos ab urbe condita nulla repudium domus

*) Hic Valesius videtur esse Adrianus; in editione quidem Henrici Valesii ad verba supra allata nihil adno-
tatum invenitur; Adrianus autem editionem mihi inspicere non licuit.

scripsit. Neque ego cum Valerio potuisse Ammianum honorem prosperatum dicere nego, et nego hoc loco prosperatum honorem satis recte explicari posse. Prosperatus enim honor nihil aliud significat nisi honorem felicitati coniunctum, at honor de quo loquitur scriptor, utrum cum felicitate coniunctus esset necne, prorsus incertum erat. Constantius enim Julianum Caesarem declaraturus exercitum sententiam rogavit cumque multitudo respondisset, coepta Constantii firmare esse summi numinis, non mentis humanae, imperator, ut ait Ammianus, stans immobilis dum silerent residua fidentius explicavit: *quia igitur vestrum quoque e. q. s.* Imperator igitur concionem suum consilium probasse vel ratum fecisse dicit, sed futuro demum tempore apparere poterat, num prosperatus ille esset honor, nec iam tum Constantium id addidisse verisimile est. Accedit quod Colbertinus et Florentinus *prope speratum* habent, scripturam aperte quidem corruptam, sed quae ostendat, *prosperatum* non firmissimo niti fundamento. Quare conicio Ammianum scripsisse *prosperatum*.

XV, 8, 18.

Deductusque (sc. Julianus) ab Augusto adusque locum duabus columnis insignem qui Laumellum interiacet et Ticinum, itineribus rectis Taurinos pervenit: ubi nuntio percellitur gravi, qui nuper in comitatum Augusti perlatus, de industria silebatur, ne parata diffloerent.

Ultima huius enunciati verba: *ne parata diffloerent* a Wagnero explicantur: *ne apparatus bellici in vulgus emanarent*. Quod improbandum puto. Commemorat enim Ammianus nuntium, de quo, quamquam in comitatum Augusti erat perlatus, tamen Julianus celabatur, quod aperte indicant verba: *nuntio percellitur gravi*. Julianus vero nequaquam, etiamsi antea ab Augusto hunc nuntium accepisset, id egisset vel commisisset, ut apparatus bellici in vulgus emanarent, neque hoc Augustus metuere poterat; sed periculum erat ne Julianus, si pessimum rerum per Gallias statum cognovisset, in provinciam hanc ire recusaret. Ad haec plane perspicienda conferas ea quae sequuntur: *Quo maerore percussus velut primo adventantium malorum auspicio murmurans querulis vocibus saepe audiebatur, nihil se plus assecutum, quam ut occupator interiret*. Quod si Julianus talia in itinere iam longe progressus murmurabat, non a verisimilitate abhorret, si antequam profectus esset nuntium illum gravem i. e. cladem Coloniae Agrippinae audivisset, eum totum hoc munus Gallias defendendi detrectaturum fuisse. Quod Augustus suspicatus nuntium Julianum celavit. Verba igitur *ne parata diffloerent*, significare videntur: ne quae a Constantio parata essent, ut Julianus Caesar declaratus in Galliam mitteretur, irrita fierent.

XV, 10, 5.

Ob quae locorum callidi eminentes ligneos stilos per cautiora loca defigunt, ut eorum series viatorem ducat innoxium: qui si nivibus operti latuerint montanis defluentibus rivis eversi, agrestibus praevius difficile pervaduntur.

Sermo est de Alpibus, quae hieme vallibus et voraginibus nive obrutis inviae fiunt, quamobrem locorum callidi viam eminentibus ligneis stilis designant; hi autem possunt aut nive obrui aut montanis rivis everti. Quare rectissime Wagnerus particulam aliquam addendam esse censet inter *latuerint* et *montanis*, sed quam addidit, *vel*, probare non possum primum quia facilius *aut* quam *vel* excidere poterat, tum quod *eversi* participium nec pro indicativo perfecti poni potest nec *sunt* addi propter *latuerint* con-

innotivum nec sint quod est contra consuetudinem Ammiani. Legendum igitur puto: *qui si nivibus operiti latuerint aut sint montanis defluentibus rivis eversi.*

XV, 10, 9.

Deinde emensis postea saeculis multis, hac ex causa sunt Alpes excogitatae Poeninae.

Wagnerus ad verba *sunt excogitatae* haec adnotavit: „i. q. antea *constructae*; sic XVII, 16, 9 *excogitavit* i. e. restauravit, instruxit in portu Cleopatra turrim [excelsam.“ Similiter verbum explicavit Ernesti in glossario. Locus ab Wagnero laudatus ad verba quae supra proposita sunt explicanda nihil novi affert, nam Pharos turris a Julio Caesare diruta cum de integro extruenda esset, antea aedificandi descriptio erat facienda et excogitanda. Hoc proprie significat verbum excogitandi, translatum etiam ad aedificandi notionem, sed hanc excogitandi verbi vim hoc loco, cum de montibus sit sermo, non aptam esse apparet. Neque vero nobis ea quae sequuntur respicientibus quid Ammianus dicere voluerit, dubium esse potest. Postquam enim scripsit: *hac ex causa sunt Alpes excogitatae Poeninae*, iam sequitur narratio de Hannibalis et Poenorum per Alpes transitu, unde nomen eis inditum esse scriptor putabat. Patet igitur verba supra proposita significare: hac ex causa sunt Alpes nominatae Poeninae vel nomen Alpium Poeninarum est excogitatum.

XV, 11, 7.

At nunc numerantur provinciae per omnem ambitum Galliarum: secunda Germania e. q. s.

In initio huius capituli Ammianus exponit distributionem Galliarum exorsus ab eo tempore, cum Romanis nondum subactae tripartitae erant, in Celtas eisdemque Gallos divisae et Aquitanos et Belgas. Deinde ex quo crebritate bellorum urgenti Julio dictatori cesserunt, regebantur potestate in partes divisa quattuor; iam pergit: at nunc numerantur provinciae per omnem ambitum Galliarum, quasi vero antea provinciae in Gallia omnino non fuerint. Apertum igitur est, deesse eam notionem, quae statum qualis Ammiani temporibus erat, superiori opponat. Quamobrem facile adducor ut credam excidisse pronomen *hae* post provinciae substantivum, ut scribendum sit: *At nunc numerantur provinciae hae per omnem ambitum Galliarum e. q. s.*

XV, 11, 16.

A Poeninis Alpibus effusiore copia fontium Rhodanus fluens et proclivi impetu ad planiora degrediens, proprio agmine ripas occultat, et paludi sese ingurgitat nomine Lemanno, eamque intermeans nusquam aquis miscetur externis: sed altrinsecus summitates undae praeterlabens segnioris, quaeritans exitus viam sibi impetu veloci molitur.

Codices habent *segniores*, quod recte a Valesio in *segnioris* mutatum est. Sed aliud gravius vitium restat. Teste enim eodem Valesio in vetustissimo codice Vaticano legitur *enilans exitus*, in Regio *eruptans exitus*, qua auctoritate *quaeritans exitus* scriptura nitatur non satis liquet. Sed ex scriptura Vaticani videtur esse emendandum *enitens exitus viam sibi impetu veloci molitur*. Exitus via est via exeundi vel via qua exeat aliquis, *enitens* vero participium aptissime additur, cum flumen molitur sibi viam ex undis, quae segnius fluunt.

XVI, 1, 1.

Haec per orbem Romanum fatorum ordine contexto versante, Caesar apud Viannam in collegium fatorum a consule octies Augusto ademptus, urgente genitro vigore pugnarum fragores caedesque barbaricas somniabat, colligere provinciae fragmenta iam parans, si adfuisset flatu tandem secundo.

Non sine causa Wagnerus offendit verbis: *si adfuisset flatu tandem secundo*, o quibus profecto sana sententia erui non potest, neque inepte addidit *fortunae*, *flatu* enim *fortunae* non insolita est Romanis imago. Sed leniore medicina locum sanari posse arbitror. Ut enim in eiusdem libri 10, 3 codices habent *anhelante avido statu ventorum*, pro quibus verbis Valesius recte scripsit *anhelante rabido flatu ventorum*, sic contra hoc loco pro *flatu* substantivo quod est in codicibus, *status* reponendum existimo itaque scribendum: *si adfuisset statu tandem secundo*; i. e. cum res ita secundae essent ut Julianus prosperum pugnarum cum barbaris gerendarum eventum sperare posset, somniabat enim iam pugnarum fragores caedesque barbaricas. Ac ne imperfectum expectes *adesset* pro plusquamperfecto, non raro talis temporum commutatio, ut imperfectum pro plusquamperfecto vel plusquamperfectum pro imperfecto positum sit, apud Ammianum reperitur, qui cum aliis rebus tum haec ostendit se „ut Graecum et militem“ non ita diligenter curasse puritatem sermonis Latini. Cfr. XVI, 10, 18: *Inter haec Helenae sorori Constantii, Juliani coniugi Caesaris, Romam adfectionis specie ductae, regina tunc insidiabatur Eusebia, ipsa quoad vixerat sterilis*; eadem verba repetuntur XVII, 4, 3 et XXX, 1, 2; XVIII, 10, 4: *ut omnes quos antehac diritate crudelitaeque terreat, sponte sua metu remoto venirent*; XVI, 1, 1 *strepentes... quod non decuerat in descriptione multiplici regionum super exiguis silere castellis*; XXVIII, 4, 2: *sed obnubilabat haec omnia vitium parum quidem nocens rei communi, sed in alto iudice maculosum, quod ceteriorem vitam paene omnem vergentem in luxum per argumenta scenica amoresque peregerat nec vetitos nec incestos*; XXX, 3, 2: *Quibus ille, ut cunctatorem decuerat ducem, examinatus lectis, attonitus cogitationibus anxius, Paterniano notario misso negotium scrupulosa quaesivit indagine.*

XVI, 2, 11.

Hinc et deinde nec itinera nec flumina transire posse sine insidiis putans, erat providus et cunctator.

Quid sit *hinc et deinde* satis recte explicari vix posse puto. Neque enim quidquam aliud significatur his adverbis et coniunctione copulatis nisi *ex eo tempore*, ad quod indicandum unum adverbium sufficiebat nec alterum ab Ammiano additum esset. At si *et* coniunctionem omittimus, longe alia est eaque aptissima sententia. Supra enim exposuerat scriptor hostes exercitu circumvento paene duas legiones delevisse; eam ob rem ex eo tempore vel ut ait Ammianus, *hinc deinde* Julianus dux erat *providus et cunctator*.

XVI, 2, 12.

Audiens itaque Argentoratum, Brocomagum, Tabernas, Salisonem, Nemetas et Vangionas et Mogontiacum civitates barbaros possidentes, territoria earum habitare: (nam ipsa oppida ut circumdata reliis busta declinant) primam omnium Brocomagum occupavit.

Haec omnes habent codices, sed ante Gruterum et Valesium ab Mariangelo Accursio editum est ut *circumdanda retiis lustra*, quod verissimum esse puto. Narrat Ammianus barbaros possedisse complures civitates eorumque territoria habitare, sed ipsa oppida vitare. Jam utitur imagine aptissima a bestiis sumpta, quae latebras vitant, cum retiis ea circumdata sentiunt. Retia igitur sunt, quae eas prohibent, quominus propius accedant, quod recte vidit Dorvillius ad Charitonem p. 465. Quodsi *busta* veram esse scripturam putamus, propter odorem sepulcrorum bestias non appropinquare statuendum est, quare propterea supervacanea essent verba *circumdanda retiis*. Nec cum Wagnero de feris cadavera sectantibus cogitare licet, quia nulla earum bestiarum significatio additur. At loco simili a Valesio citato rem confici putat Wagnerus; leguntur enim in libro XXXI, 2, 4 dicta de Hunnis haec: *Aedificiis nullis unquam tecti, sed haec velut ab usu communi discreta sepulcra declinant*. Sed tantum abest, ut haec verba Valesii et Wagneri sententiam confirmet, ut eam falsam esse coarguant. Nam Hunni aedificia vitare dicuntur quasi sepulcra sint, nulla alia causa addita, cui loco similis esset supra propositus si omitterentur verba *circumdanda retiis*. Sed ea ipsa addita ostendunt diversam esse rationem utriusque loci legendumque: *ut circumdanda retiis lustra*.

XVI, 3, 3.

Ubi bellorum inundantium molem humeris suis, quod dicitur, vehens, scindebatur in multiplices curas: ut milites, qui a solitis descivere praesidiis, reducerentur ad loca suspecta.

Verba *qui a solitis descivere praesidiis* mihi magnam movent dubitationem. Nam ea nihil aliud significare possunt nisi milites defecisse. Sed ut omittam desiderari ad quem milites defecerint, certe tam grave militum scelus accuratius Ammianus, ipse miles, explicavisset neque solis his verbis crimen atrocissimum quasi praeteriens commemoravisset. At si consideraverimus quae supra Ammianus capite secundo et tertio narraverit, quid hoc loco dicere voluerit, satis manifestum erit. Julianus postquam per Galliam profectus in civitatem Remorum cum parva manu pervenit, ubi exercitum in unum congregatum iusserat opperiri praesentiam suam, Francos, qui incursiones in fines Romanos fecerant, vicit compluresque urbes recepit hocque modo pace firmata abscessit ab Colonia Agrippina apud Senonas oppidum hiematurus. Ubi in multiplices distrahebatur curas, inter quas ea erat, ut ei milites, qui ad bellum gerendum ex urbibus, quibus antea praesidio fuerant, convenerant, eodem reducerentur, cum regiones ab hostibus nondum satis tutae essent. Jam apertum est, quale verbum desideretur neque minus apertum *descivere* veram scripturam esse non posse. Conicio igitur Ammianum scripsisse *qui a solitis discurrere praesidiis*. Discurrendi verbum quamquam plerumque significat: in diversas partes currendo abire, tamen apud ipsum Ammianum eam quoque significationem habet, quam hoc loco subesse puto, ut sit a diversis partibus currendo in unum locum convenire; cfr. XXIX, 5, 25: *caesis omnibus incolis moenibusque complanatis ad Tingitanum castellum progressus per Ancorarium montem Mazicas in unum collectos invasit, iam tela reciprocantes volitantia grandinis ritu. Et cum esset utrimque discursum, agmina viris armisque incitata nostrorum non perferentes Mazices foedo disfluxere terrore.*

XVI, 5, 17.

Utque bestiae custodum negligentia raptu vivere solitae, ne his quidem remotis adpositisque fortioribus abscesserunt, sed tumescentes inedia sine respectu salutis armenta vel greges incursant:

ita etiam illi (sc. Alamanni) concilio quas diripere consumptis fama urgente agendum aliquoties praedas: interdum antequam contingerent aliquid, oppetebant.

Ultima huius enunciati verba falso ab Wagnero ita explicata sunt: „Sic igitur et Alamanni, qui cum sub imperatoribus ante Julianum multa fecissent licenter, ipso Juliano quamquam vigilantiori regimine nihil a rapina remitterent, interdum antequam contingerent oppetebant, quamquam nulla spes esset obtinendi, cupidinem tamen satis aperte prae se ferebant.“ Haec oppetendi verbi explicatio potest vera esse, at qui potest *antequam* idem significare quod *quamquam* et contingendi verbum indicare spem obtinendi? Longe aliud dicere voluit Ammianus, quod maxime ex contrariis inter se notionibus praedas agendi et oppetendi apparet. Aliquoties barbari id quod volebant assequebantur, ut fame urgente praedas agerent, interdum autem minus prospere res eis cedebat atque tantum aberat ut praedam agerent, ut populabundi in fines Romanorum incursantes interficerentur. Oppetendi verbum idem significare quod mortem oppetendi non est cur exemplis demonstramus.

XVI, 8, 3.

Per id tempus fer num quemdam nomine Danum terrore tenus uxor rerum levium incusarat; certum an incertum insontem Rufinus subsidebat: (quo indicante quaedam cognita per Gaudentium agentem in rebus, consularem Pannoniae tunc Africanum cum convivis retulimus interfectum) Adparitionis praefecturae praetorianae tum etiam princeps ob devotionem.

Verba sunt admodum mutila, ut ea plane restituere coniectura non possimus. Quid exciderit lacuna indicata prorsus incertum est, quare recte Wagnerus „temerarium jesset“ inquit, „locum velle restituere. Fortasse tamen liceat conicere pro *fer* . . . legendum esse *fere* vel *ferme*, deinde vero excidisse nomen vel dignitatis vel nomen homini proprium. Posterius malim et post *nomine* comma, pro *Dano* autem *Dacum* reponam referamque ad hominis patriam propterea quod raptae a Diocletiani sepulcro purpurae arguebatur. Id enim aptius a Daco quam Dano fieri potuit.“ Post illam lacunam haec in editione Romana leguntur: *quendam nomine Danum terrore tenus uxor levium rerum incusarat certum an incertum indensotam Rufinus subseda*; in libro Florentino teste Lindenbrogio haec scripta sunt: *incusarat certum an incertum undensotam Rufin. subseda*. De ceteris codicibus tacetur. Quae Wagnerus recepit apertissime falsa sunt; nam neque lacunae, quae est post *incusarat* verbum, rationem habet et sana sententia verba prorsus carent. Multo melius hic rem gessit Valesius, cuius coniectura et ipsa etsi minus probabilis est propter neglectam lacunam, tamen sententiam aptam praebet. Coniecit enim haec esse scribenda: *quendam nomine Danum terrore tenus uxor rerum levium incusarat: quem incertum unde infenso animo Rufinus subsidebat*. Mea quidem sententia ita locus satis probabiliter restitui potest: *quendam nomine Danum terrore tenus uxor levium rerum incusarat; quod non curans certum an incertum, eundem insontem Rufinus subsidebat*. Facile addi potest mente ad *certum erat* imperfectum; indicativo enim saepissime more Graeco in interrogationibus quae dicuntur indirectae Ammianus utitur; *eundem* autem pro *eum* non minus saepe Ammianus dicit, si hoc pronomine vel homo vel res, quae supra commemorata est, indicatur.

XVI, 10, 9.

Augustus itaque faustis vocibus adpellatus montium litorumque intonante fragore cohorrui, talem se tamque immobilem, qualis in provinciis suis visebatur, ostendens.

Lacuna est in codicibus haec: *Augustus itaque faustis vocibus adpella otium litorumque e. q. s.* Eam Valesius ita explevit, uti supra perscriptum est. Sed vel ex eo, quod lacuna maior quam quattuor litterarum ab ipso Valesio indicatur, apparet hanc emendationem non esse omni ex parte probabilem. De vocibus *adpellatus* et *montium* nemo certe dubitare potest, sed praeterea aliquid excidisse necesse est. Neque si sententiam solam spectes, omnia plana erunt. Narranti enim Ammiano triumphantem Constantium Augustum Romam introisse cum alia tum id maxime memorabile videtur, quod imperator nonnullis rebus per se quidem levibus maiestatem suam supra homines excelsam ostendere voluerit. Audiamus scriptorem ipsum de hac re disserentem: *Nam et corpus, inquit, perhumile curvabat portas ingrediens celsas* (videlicet ne vertice portam pulsaret) *et velut collo munito rectam aciem luminum tendens nec dextra vultum nec laeva flectebat tamquam figmentum hominis: non cum rota concuteret, nutans nec spuens aut os aut nasum tergens vel fricans manumve agitans visus est unquam.* Ad haec omnia quomodo quadrare potest quod supra dicit Ammianus eum faustis vocibus Augustum adpellatum montium litorumque intonante fragore cohorruisse, praesertim cum statim sequantur: *talem se tamque immobilem ostendens?* Apertum igitur est excidisse particulam negativam velut *minime* et scribendum: *Augustus itaque faustis vocibus adpellatus minime montium litorumque intonante fragore cohorrui.*

XVI, 11, 5.

Qua clade cognita agili studio Caesar missis cuneis tribus equitum expeditorum et fortium tria observavit itinera, sciens per ea irrupturos procul dubio grassatores: nec conatus irritus fuit.

Consentiunt cum hac scriptura codex Regius et Tolosanus, sed quae sunt in Florentino, alio potius ducere nos videntur. In hoc enim libro haec scripta sunt: *neco a nanti irritus fuit.* Etiam hoc loco valde dolendum est nos accuratorem discrepantiae scripturae cognitionem non habere, ita ut certum iudicium facere non possimus. Sed si per se rem spectamus, verior videtur scriptura Florentini quam simplicior eoque suspecta Regii et Tolosani. Atque satis probabili ratione verba Ammiani restituere mihi videor scribendo: *nec conatus acre festinanti irritus fuit.* Festinandi notionem vides optime quadrare ad verba quae antecedunt *agili studio*; *acre* autem neutrum positum pro adverbio nec exemplis aliorum scriptorum caret nec apud Ammianum ipsum, quoniam saepissime hoc Graeco loquendi more usus est, quidquam dubitationis movebit.

XVI, 12, 29.

Et cum adloqui pariter omnes nec longitudo spatiorum extenta, nec in unum coactae multitudinis permitteret crebritas (et alioquin vitabat gravioris invidiae pondus, ne videretur id adfectasse, quod sibi soli deberi Augustus existimabat) cautior sui, hostium tela praetervolans, his et similibus notos pariter et ignotos ad faciendum fortiter accendebat.

Apparet *cautior sui* verba coniungenda esse cum eis quae sequuntur: *hostium tela praetervolans.* Nam quod fortasse cogitari possit propter verba quae antecedunt: *et alioquin vitabat gravioris invidiae pondus, cautior sui* referenda esse ad invidiam ab Augusto imminentem, id non probabile esse convincit collocatio verborum, nam tum ea verba ponenda erant inter *pondus* et *ne videretur.* Verum si cum eis

quae sequuntur ea coniungimus, hanc habemus sententiam: Julianum cautum vitasse tela hostium sive timiditate ductum, sive providentia, ne exercitus duce privaretur. Priorem causam esse non posse satis constat, sed ne alteram quidem ab Ammiano cogitatum esse mihi verisimile videtur. Etenim si qualis scriptor hunc imperatorem, delicias ut ita dixerim suas, aliis locis descriperit, reputaverimus, nunquam eum sibi ipsi cautum fuisse reperiemus, contra aliquoties cum magno suo periculo eum sibi hostibus obiecissem commemoratur. Confer quae paullo supra Ammianus narravit: *Quo viso* (sc. Romanos non audere nec referre gradum nec ulterius progredi) *animosus contra labores maximos Caesar ducentis equitibus saepius, ut ardor negotii flagitabat, agmina peditum impetu veloci discurrens verbis hortabatur*; XXV, 3, 4: *Quae dum sine respectu periculi sui redintegrare festinat, ex alia parte cataphractorum Parthicus globus centurias adoritur medias* et quae paullo infra sequuntur: *quos cum Julianus cavendi immemor diffluxisse trepidos, elatis vociferando manibus aperte demonstrans* e. q. s. Neque minoris sunt momenti, quae dicit Ammianus in describendo eius ingenio moribusque XXV, 4, 10: *Fortitudinem certaminum crebritas ususque bellorum ostendit et patientia frigorum immanium et fervoris quoque. Corporis munus a milite, ab imperatore vero animi poscitur. Ipse trucem hostem ictu confecit audacter congressus, ac nostros cedentes obiecto pectore suo aliquoties cohibuit solus: regnaque furentium Germanorum excidens et in pulvere vaporato Persidis augebat fiduciam militis dimicans inter primos.* Haec si reputaverimus, valde dubium nobis videbitur Ammianum consulto dixisse Julianum cautiorem sui fuisse, at vero incautiorem, non caret probabilitate, quare Ammianum id ipsum scripsisse conicio.

XVI, 12, 43.

Cornuti enim et Braccati, usu proeliorum diuturno firmati, eos iam gestu terrentes barritum civere vel maximum.

In codicibus legitur *ciere*, ex quo Valesius fecit *civere* causa mutationis non addita eumque secutus est Wagnerus et ipse tacens de ratione mutandi. Videtur Valesius putasse *ciere* formam nihil esse posse nisi infinitivum, qui dicitur historicus. Quod si ita esset, re vera esset emendatio; nam videtur Ammianus infinitivo historico abstinuisse: unum quidem exemplum extat certum et indubitatum, si solam scripturam codicum spectes: XXIX, 3, 7: *cumque nihil quaestiones reperirent assiduae, mandare magistris equitum audiloribus princeps, ut agerent Claudium in exsilium* e. q. s., ubi si sententiam tecum repones, infinitivum historicum locum habere non posse reperies, quare nescio an ibi quoque aliud ab Ammiano scriptum fuerit. Quod praeter hoc extat exemplum in editione Wagneri XVI, 11, 9: *et ubi caedendi satietas cepit, opimitate praedarum onusti, cutus partem vi fluminis amiserunt, redire omnes incolumes*, erratum est quod dicitur typographicum pro *redire*. *Ciere* igitur non satis recte infinitivus explicari potest, at potest esse pluralis perfecti pro *cierunt*, ut *audiere audierunt*; nam etiamsi alterum formae *cierunt* exemplum non extaret nisi in compositis, quod affirmat Forcellini, tamen id profecto nos prohibere non potest quominus hanc formam cum Charisio in libri tertii initio probam esse existimemus. Propterea Ammiano sum *ciere* reddendum arbitror.

XVI, 12, 52.

Aderatque propitiati numinis arbitrium clemens: et secans terga cedentium miles cum interdum flexis ensibus feriendi non supplerent instrumenta, ipsis barbaris tela eorum vitalibus immergebat.

Sententiam horum verborum, quibus victoria a Romanis de Alamannis reportata describitur, nec Wagnbrus nec Valesius omni ex parte recte videntur explicasse. Quorum ille ad interpretanda verba *ipsis barbaris tela eorum vitalibus immergebat* haec addidit: „rectius ipsorum barbarorum vitalibus.“ Sed eo modo barbarorum vitalia aliis vitalibus opponerentur, quod ineptissimum est. Quae Valesius exposuit: „tela eorum dixit, quod alius diceret magis Latino tela sua, Graecorum more qui *αὐτός* indifferenter usurpant: *τὰ αὐτῶν βέλη*,“ quamquam non sunt prorsus inepta, tamen aptam sententiam non praebent. Nam si haec explicatio vera esset, Ammianum discrimen narratione sua fecisse putandum est inter terga barbarorum, quae feriebantur ab militibus et vitalia, quibus enses immergebantur. Sed longe aliud discrimen hoc loco fieri accuratius verba consideranti apparebit. Romani adeo acriter instabant victis hostibus, ut interdum ensibus flexis vulnerandi non suppeterent instrumenta, nam flexis ensibus nec feriri nec percuti hostes poterant. Sumptis igitur ipsorum barbarorum telis, quae ad terram abiecta erant, hostes caedebant. Ita sententia quidem plana est, sed non plane ab Ammiano expressa; nam pro eis quae dixit: *ipsis barbaris tela eorum vitalibus immergebat*, dicendum fuit: barbarorum vitalibus tela eorum ipsorum immergebat. Primum igitur notanda est figura, quae dicitur a grammaticis *καθ' ὅλον καὶ μέρος*, cum duplex dativus scriptus sit *barbaris* et *vitalibus*; tum quia *ipsorum* pronomen prope substantivum *barbaris* positum erat, etiam eius casum assumpsit, quamquam ad *eorum* referri debebat. Talis casuum mutatio non raro reperitur; cfr. Ammiani ipsius XIV, 6, 18, ubi *studiorum seriis cultibus* proprie studiorum serio- rum cultibus dicendum fuisse sententia demonstrat. Simili modo XX, 11, 17: *verum post ambiguam proelii virtutem plurimi nihil impetrato intra moenia repelluntur* dictum est pro his: post ambigui proelii virtu- tem i. e. postquam ancipiti Marte fortiter pugnaverunt. Ac si nostro loco collocationem verborum inso- litam forte mireris, non desunt ne huius quidem rei exempla apud Ammianum: XXIX, 6, 15: *adeoque obsistentes fortissime turbas confluentes oppressit, ut caesorum plurimum alites iuste sanguine satiare et feras*, ubi *iuste* adverbium ad *caesorum* participium referendum esse apparet.

XVI, 12, 58.

Dum haec aguntur, rex Chnodomarius reperta copia discedendi, lapsus per funerum strues, cum satellitibus paucis celeritate rapida properabat ad castra, quae prope Tribuncos et Concordiam munimenta Romana fixit in Triboccis, ut escensis navigiis dudum paratis ad casus ancipites in secretis se secessibus amandaret.

Librorum scriptura haec est: *in secretis secessibus emendaret*, nisi quod Regius habet *demandaret*, quam Valesius ita emendare conatus est, ut supra perscripsimus. Quae emendatio quamquam lenis est et apta sententiae et usui Ammiani accommodata, tamen cum duobus locis aliquid mutari necesse sit, vide ne sit probabilius, in solo verbo *emendaret* corruptelam inesse itaque scribendum: *in secretis secessibus semet abderet*.

